Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26092
Copyright: Admont, Benediktinerstift

libet opera. unde subditur: et uideas filios filiorum tuorum. id est uirtutes de uirtutibus
procreatas. Recte et uxor stulti dicitur stulticia. carnalis uoluptas. atque cupiditas. filii
autem ipsius. carnalia et praua quelibet opera. Iussit eum dominus uenundari. et uxorem eius et
filios. id est iudicari aduersus eum cupiditates eius. et opera mala que gessit. Intelle
gendum est decem preceptorum legis eum fuisse debitorem. et pro cupiditate cum operibus suis tamquam
uxore et filiis penas soluere debuisse. quod est pretium eius. Precium enim uenditi. supplicium
dampnati intellegatur. Quod autem dixit noluit ignoscere conseruo suo. sed abiit et misit eum
in carcerem. sic accipiendum est. tenuit contra eum animum. ut supplicia illi uellet in
ferre. Conserui autem qui narrauerunt domino que fiebant. potest intelligi ecclesia. que
et illum soluit. et illum ligat. Precepit itaque Christus petro sub comparatione regis et domini et serui qui
debitor decem milium talentorum. a domino rogans ueniam impetrauerat. ut ipse quoque di
mittat conseruis suis minora peccantibus. Si enim ille rex et dominus seruo debitori
decem milium talentorum tam facile dimisit. quanto magis serui conseruis suis de
bent minora dimittere. Quod ut manifestius fiat. dicamus sub exemplo. Si quis nostrum
commiserit adulterium. homicidium. sacrilegium. ceteraque maiora crimina. decem milium
talentorum comparationem habentia. si a domino petierit indulgentiam puro corde et since
ra confessione cum lacrimis et contritione spiritus. dimittentur ei omnia peccata. si et ip
se ex corde puro dimittat minora peccantibus. Si autem ob factam iniuriam sumus inplaca
biles. et propter amarius uerbum perpetes habeamus discordias. nonne nobis uidemur iure
in carcerem redigendi. et sub exemplo operis nostri hoc agere. ut maiorum nobis delictorum
uenia non relaxetur. Sic est et de seruo nequam subiungitur. Egressus autem seruus ille inue
nit unum de conseruis suis. qui debebat ei centum denarios. et cetera. Centum denarii de
licta sunt hominis contra hominem. qui proximum suum tenens suffocat. et uindictam iniu
rie retribuet illi. non precogitans. quia multo maiora sibi a domino habet retribui.